Ros Dok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Matthaeus Gerhardi    Jacobus Francus

# Exercitatio Historico Philologica De Charactere Hebraeorum Sancto

Rostochii: Kilius, [1674]

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730586820**

Druck    Freier Zugang    PUBLIC DOMAIN

Rk phil 1674

Matthaeus Gerhardi

Jacobus Francus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730586820/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730586820/phys_0002
DFG

בשש

# EXERCITATIO HISTORICO PHILOLOGICA

*De*

# CHARACTERE HEBRÆORUM SANCTO,

*Quam*

Auxiliante atque Dirigente Sanctiſſimo Numine, annuente vero Ampliſſimâ Facultate Philoſophicâ in celeberrimâ propè Varnum Academià,

*Præſide*


## M. MATTHÆO GERHARDI,

Pomerano.


Publico φιλομαθῶν examjni ſubmirtit

*Reſpondens*


JACOBUS FRANCUS, Fürſtenbergenſis Mekleburgicus.


In Auditorio maſori

Ad diem 20 Decembr. 1674.


ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Univerſitatis Typogr.



16

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730586820/phys_0003

DFG

י י
י
α ה ω

§. 1.

PUlcherrimè Chryſoſtomus Homil. 21. in Gen. ὐδὲ συλλαβὴ ὐδὲ κεραία μία ἐι κειμένη, παρὰ τῇ γραφῇ, ἣ μὴ πολὺς ἐναπόκειται θησαυρὸς ἐν βάθει. Neque vel Syllaba vel unicus apex in Scripturâ eſt, in cujus profundo non ſit grandis aliquis theſaurus; Veriſſimè Hebræi אין בתורה אפילו אות אחד שאין הררים גדולים תלויים בה: Non eſt in Lege vel una litera, à quâ non montes magni dependeant: Scilicet; Apicem in Sacris negligere, eſt theſaurum Vitæ poſthabere: Literam vel Syllabam addere aut detrahere, eſt fundamentum ſalutis evertere, quo labaſcente, magni quoque corruunt ſuperinſtructi atque dependentes ex eo montes. Magnâ Ebræorum literæ ex tenebris protrahi volunt induſtriâ, majori cuſtodiri amant curâ. Quamvis igitur Virorum Doctiſſimorum, Athanaſii Kircheri, Buxtorfii, Thomæ Bangii, Glaſſii, Waſmuthi aliorumque doctiſſima de Literis Ebræorum extent ſcripta, & exaſciati labores, & Antiquariorum teſtimoniis graviſſimis & Rationibus ſolidiſſimis, ſacros characteres ab interitu vindicantes; non tamèn laterem lavare viſus ſum, qui periclitarer ſi quæ obſcuriùs promunt nunquam ſatis jam laudati Viri in hoc negotio Exercitatiſſimi, an iſta majori evidentiâ proponere, aut etiam poſt largiſſimam ab eis jam peractam meſſem


ſpici-

ſpecilegium quoddam inſtituere poſſem. In hoc ergo, quod animi exercitiique causâ ingreſſus ſum, ſtadio, ut ordine juſto omnia agantur, qui juxta Rabb. effatum נפש הדברים ויפה פירה מערכה pulcherrimum quid & quaſi rerum Anima: à Nominum ad Rerum cognitionem, à Vocum Etymologia, Homonymiâ & Synonymiâ ad ipſam demum literarum Ebræorum Naturam quantâ fieri poterit perſpicuâ brevitate Diſputatio hæc progredietur.

§. 2. Litera vel Literæ, Græcis χαρακτῆρες à χαράσσειν quod Nicolaus Fullerus (a) ab Ebr. חרש aravit, inſculpſit, deducit in Rabbinorum Scholis veniunt nomine אותיות, uti ex Eliæ Levit. Gramm. Ebr. notat Joh. Gerhardus (b) אותיות vero pluralis à ſingulari אות ſignum á Radice Hebr. אתה, vel potius Chaldaico Syriaca אתא venit, acceſſit, ideò dictum quod literæ rem ipſis ſignatam in mentem vel memoriam venire faciant Buxtorf. (c) Magnum tamen diſcrimen eſt inter אות & particulam את quorum illud ſignum à Rad. אתה venit; hoc nota Accuſatim vel nominativi à Radice inuſitata את conf. Buxtorf. l. c. & Glaſſius (d) ut proinde non audiri mereatur M. Joannes Gaffarellus in libro quem inſcripſit. Curioſites innovyes (e) qui Geneſ. 1. v. 1. verba את השמים interpretatur Characterem Cœli, ut ſaltem literas ſuas Cœleſtes orbi literato obtrudat; quem errorem pluribus refutavit clar. Thomas Bangius (f)

§. 3. עברים ſ. Ebræorum vocantur duplici vocis hujus ſignificatu ſcil. tum Nominis Appellativi, transfluviales, (ab עבר tranſiit) eò quod ex Aſſyria Cananæis transfluviali ſeu trans Euphrateâ ſint illatæ in terram Canaan Athan. Kircherus (g) Waſmuthus (h) Micrælius (i) Character Ebræorum Profanus, ſecundariò etiam dicitur Ebræorum Appellativè, quod Cuthæis ſ. Idiotis vel Samaritanis transfluvium habitantibus ſit ab Eſdra ex odio relictus; tùm Nominis Proprii, Hebrææ, nempe à Populo Hebræo in quo uſus illarum fuit. Quod vero ab Hebero etiam præcipuè עברים nomen trahant non contemnenda eſt ſententia, cum in hujus familiâ ſint ſervatæ & propagatæ Nic. Fullerus (k) Hoc quidem negat M. ille Hugo Grotius (l) quandò in-

(a) *Miſcell. S. l. 1. c. 5.*
(b) *in Gr. Harm. c. 1. p. 12.*
(c) *Lex. Ebr. ſub rad.* אתה *& L. Chald. Syr. p. 43.*
(d) *Philol. S. l. 1. Tr. 3. ſect. 1. p. m. 196.*
(e) *de Sculpt. Taliſmann. Perſarum, Horoſc. Patriar. & Lectura Stellarum.*
(f) *in Cœlo Orient. Exercit. II. p. 139. ſeqv.*
(g) *Oedip. Ægypt. part. 2. Claſſ. 1. Disquiſ. 3. §. 3.*
(h) *Vindic. S. part. 1. ſect. 1. ſ. 2.*
(i) *Synt. Hiſt. Eccleſ. quæſt. 9.*

(k) *Miſcell. S. l. 4. c. 4.* (l) *ad c. 11. Geneſ. & notis ad l. 1. de vera Relig. Chriſt.*

inquit; *Lingua Hebræa eſt Lingua* עברים *advenarum è Chaldæâ. Hæc enim origo nominis Hebræorum, non ab Hebero vid. Joſ. 24. 2. 3. Lingua igitur illa Hebræa Abrahami & ejus poſterorum incolatu in Cananæa, ad Cananæam ſemper propiùs acceſſit nec differt à Punicâ niſi Dialecti quibusdam proprietatibus ut à viris eruditiſſimis oſtenſum eſt. Quare veriùs primævam linguam, nullibi puram extare, ſed reliquias ejus eſſe in linguis omnibus.* Verùm fruſtra: Rationes quas ſubnectit illud non evincunt: Hebræorum nomen & derivari ab Appellativo עברים transfluviales & à Proprio Heber, non ſunt ἀσύςατα ſed optimè ſimul ſtare poſſunt. Quod lingua Primœva in dubium vocitetur nihil contrà Etymologiam nominis; tùm etiam Linguam Protoplaſtorum in Heberi familia ſervatam fuiſſe, luculenter ſatis tam ex Hiſtoriæ monumentis quàm S. literis evincunt quos citat. Clar. Aug. Pfeiffer in Faſciculo Diſſertat. Philolog. (m) Porro Linguam He- (m)
bræam non differre à Punicâ niſi Dialecti proprietatibus, reclamant *Diſſ: 6. aſ-*
non vulgares autores, qui Punicam jam interlapſam proximè ad Sy- *ſert. 2. Theſ.*
riacam acceſſiſſe exiſtimant; quos vide in Aug. Pfeiff. Diſſert. ſupra *1.*
cit. quod probari etiam poteſt non ſolum ex Vocab. Karthago ſed etiam ex literatura Phœnicum ſeu Punicâ quam Athanaſ. Kircherus
(n) tradit maximè affini Samaritanorum literis, unde & Joh. Ger- (n) *Oedip.*
hardus (o) eundem pro Samaritanorum Charactere venditat quem *Æg. l. 6.*
Ath. Kircherus Punicum facit Si jam juxtà Grotium Ebraica Lingua *D. 4.*
non differret à Punicâ niſi quibusdam Dialecti proprietatibus tunc (o) *in Gr.*
non fuiſſet ab illa diverſa Lingua; ſicut diverſæ Græcæ L. Dialecti *Harm. p. 6.*
non conſtituunt aliam atque aliam linguam. At Ebræa Lingua & Syriaca, (cui proximè acceſſiſſe jam evictum) ſunt omnino diverſæ. E. Et poſito Linguam Ebræam non fuiſſe aliam à Linguâ Punica, quomdo D. Auguſtinus, qui inter Pœnos Epiſcopalem ſedem habuit, circa annum 1900 poſt primum Phœnicum in Lybiam adventum, eorumque linguæ peritiſſimus. Ebraicam tamen linguam intelligere non potuit? Ruunt E. aſſertiones Grotii, Ruit quoque negatio, Lingv Ebræam non derivari poſſe ab Hebero.

§. 4. אותיות עברים porrò tales ſunt vel propriè
vel impropriè; aut ex opinione quorundam, aut revera tales. Ita (p) *in Exam.*
אותיות ſ. Literæ vocantur Literæ Hieroglyphicæ Ægyptiorum, *Cabb. D.*
de quibus Samuel Andreæ (p) Juſtinum Martyrem, vel etiam Au- *Mor. p. 79.*
torem quæſt. & Reſponſ. ad orthodoxos (q) ità loquentem inducit: [q] *quæſt.*
*25.*

*Aſtronomia & Aſtrologia & Geometria apud Ægyptios* χύδαια ἢ καὶ πέζα καὶ ἀγοραῖα μαθήματα *ſ. viles, humiles & vulgares diſciplinæ habitæ ſunt, adeoque Moyſes magis literis Hieroglyphicis imbutus eſt, apud Ægyptios quæ in honore erant;* Et Enguiennenſium *Dux Ludovicus Borbonius* (r) *Effictis coelatisque imaginibus maximè uſi ſunt ſapientes Ægyptiorum, qui non aliis literis, quàm figuris animalium arcana Philoſophiæ Theologiæque dogmata exprimebant, & ad reconditæ hujus ſapientiæ oſtentationem ejusmodi, quas ſacras vocabant, Apulejus notas ignorabiles appellat; quia vulgò erant incognitæ, illasque templorum valvis pyramidibusque inſculpebant, unde dicta Hieroglyphica* ἀπὸ τοῦ γλύφειν, *quod eſt ſculpere, abſtruſa myſteria ſic exponentes, palàm, ut ab imperitorum tamen oculis, captuque removerent; ut* τὸ ἀδύνατον *ſeu quod fieri non poteſt ſignificarent, pedes hominis in aquis ambulantes, aut absque capite ingredientem pingebant &c.* conf. *Orus* (s) *& Athanaſ. Kircher9.* (t) *Ut verum ſit, eum qui Hieroglyphi nominis Etymon aut informationem perſpicit nihil aliud niſi* τῶν ἱερῶν γλύφην *intelligere. Unde Budæus ea vult ſacra quædam eſſe monumenta, non literis, ſed ſculptis rerum animaliumque figuris ſignificantia. Malunt alii penitiſſima quædam eſſe rerum, vel ſententiarum, aut etiam Verborum ſigna, quæ literarum inſtar ſenſum mentis exprimunt aut res faciendas indicunt, aut factas poſteris indicant Clemens Alexandrinus l. 3. Stromatum, cum de multiplici Ægyptiorum ſcribendi ratione diſſerit, tres facit Hieroglyphorum ſpecies; ſymbolicarum, inquit, una propriè loquitur per Imitationem; alia vero ſcribitur veluti Tropice, alia ſumitur apertè: Allegoricè tertia per quædam ænigmata.* Hæc paulò fuſiùs ex Borbonii Palatio Eloquentiæ recitavi quidem, quæ tamen ſatis, docere poſſunt, quid de literis Hieroglyphicis ſit ſtatuendum; ſcilicet, nomen אות יורי illis quidem recte tribui, at impropriè. Sunt enim quidem juxta Borbonium ſigna rerum & conceptuum, non tamen Mediata qualia propriè dictæ Literæ, ſed Immediata. Multo minùs עברים ſ. Ebræorum Literæ vocari poſſunt; licet enim Moyſes illis imbutus fuerit, & Johannes Nierembergius (u) Sethi columnas talibus figuris Hieroglyphicis inſculptas fuiſſe contendat: Prius enim nihil probat; Nierembergium vero Athanaſius Kircherus (x) refutat.

§. 5. Firmiter quidem etiam ſum perſuaſus Literas Adami poſterorumque ejus easdem eſſe cum literis Ebræorum, neutiquam tamen

(r) in Eloqv. theatr. p. 110.

(s) *l. 1. Hierogl: 59. conf.*

(t) *Oed. ægypt: part. 2. & 3.*

[u] *l. 1. de orig. S. Sacræ c. 11.*

(x) *obeliſci Pamphil. l. 3. c. 1.*

tamen agnoſcere poſſum pro genuinis, Adamiticas vel Jacobi Bonavent. Hephurni in libro quem inſcripſit Auream Virgam Pontif. Pauli V. privilegio confirmato vel Laurentii Scraderi (aa) vel Angeli Rocchæ à Camerino (bb) quoniam dicti autores ſibi ipſi non conſtant, ut videre eſt ex Thom. Bangii Coelo Orientali (cc) neque Angeli Raphael literas, quas claudius Duretus (dd) appellat Charact. de L' Angle Raphael quem etiam privatum Adami Præceptorem facit; in cujus gratiam allægari poſſentRabbinorum teſtimonia quæ tradtt Athanaſ. Kircherus (ee) Coincidere enim ferè cum Kircheri Adamiticis figuris, patebit illi qui Tabulam Kircheri loc. cit. & Cælum Orient. Bangii l. c. oculis ſuis luſtraverit. Neque quas filiis Sethi Angelus Roccha à Camerino loco cit. & Laurentius Scraderus loc. cit. tribuunt. Illarum enim figuræ coincidunt ſimiliter cum literis Adamiticis quas ipſi anteà tradiderunt, niſi quod tranſpoſitæ ſint; vel etiam, præſertim quas Roccha loc. cit jam Adamo, jam poſteris Sethi jam Moyſi tribuit parùm diſcrepent à Samaritanis; Bangius (ff) Henochi literas publicavit Johannes Auguſtinus Pantheus venetus Sacerdos (gg) verùm ab hoc recedit Jacob. Bonavent: Hephurnus (hh) ut autorum diſcordia difficilè fidem invenire videatur. Nullis præthereà rationibus ſuffultum eſſe vel Pantheum, vel Duretum (hh) HenochiciCharactèris propugnatores, expreſsè teſtatur, Clariſſ. Thomas Bangius (ii) quem Per-admodum, Reverendus atque Excellentiſſimus Dnus D. Mullerus, Dominus Præceptor Fautor atque Promotor filiali obſervantiâ æternùm colendus; in hoc ſtudiorum genere cultiſſimum laudat (kk) Huic ſubſcribit acutus Scaliger (ll) Theſei, Rochæ, &c. nova Alphabeta, *Imperitorum hominum commenta* reputans; nec longius ab his recedit Athanaſ. Kircherus (mm) *ſuppoſitios* enim *eos Characteres* redarguit; Porrò planè fabuloſos Judæos & Henricum Cornelium Agrippam, non ſaltem veneficum declarat Samuel Andreæ (nn) cujus verba (oo) hæc citat: *Apud Hebræos plures characterum invenio modos, quorum unus eſt antiquiſſimus; Scriptura videlicet antiqua, quâ uſi ſunt Moyſes & Prophetæ, cujus forma nemini temerè revelanda eſt. Nam quibus hodiè utuntur literis, ab Eſdrâ inſtitutæ ſunt. Eſt enim apud*

*eos*

(aa) *in Monumentis Italiæ p. 146.*
(bb) *in Biblioth. Vaticine comm. p. 79.*
(cc) *Exercit. II. p. 101.*
(dd) *in tr: Threſor des Langues*
(ee) *Oedip. Ægypt. ſynt. 1. Gymn. Hierogl. Disquiſit: 3. Claſſ. 2.*
(ff) *l. c. p. 125.*
(gg) *in l. quem inſcripſit Voarchdomiã contra Alchimiam*
(hh) *loco ſuperius cit.*
(ii) *loc. citato p. 127.*
(kk) *in Jeſu Patiente Tit. 13. de forma Crucis J. Chriſti.*
(ll) *l. 4. Epiſt. pag: 444.*
(mm) *in prodromo Copto c. ult. p. 222.*
(nn) *Exam. Cabbal. Phil. D. Mori. p. 135.*
(oo) *de Cæl. literat. l. 3. c. 30.*

*eos Scriptura, quam vocant Cæleſtem (à quibus Athanaſii Kircheri* (pp) *Character Malachim parùm diſcrepat) quia inter Sydera collocatam & figuratam oſtendunt; non ſecùs atq; cæteri Aſtrologi ſignorum imagines, ſtellarum lineamentis educunt; Eſt etiam quam vocant Script. Melachim h. e. Angelorum S. Regalem* [Huic Kircheri Myſticus reſpondet, & facile in ſua principia reſolvitur quæ Joddim ſunt e. g.] Aleph ſunt 4. jod. Nam R. Abraham filius David in Lib Jetzira tradit Jod. eſſe principium literarum omnium, *Et eſt alia quam vocant Tranſitus* fluvii. Hujus Cornel. Agrippinæ traditionem de Cæleſtium Literarum figura reaſſumit Johannes Gaffarellus Gallus loco ſuperius cit. ſed argumenta quibus ſententiam ſuam probare conatus eſt ſcil. ex Jeſa. c. 34. v. 4. Geneſ 1. v. 1. Pſal. 19. 5. Rom. 10. v. 18. annihilavit Clar. Thomas Bangius (rr) ut nullo modo in cenſum Ebræorum Characterum venire queant. Fictitiæ enim ſunt omnes, præcipuè Cæleſtes Agrippæ, de quarum commento & ipſi autores fovent concordiam diſcordem ſcilicet, *aliis ſtellæ fixæ æquivalent Conſonantibus, Planetæ vocalibus; aliis Cælum eſt, liber quidem; Erroneæ verò ſtellæ calami animati, ex quorum conjunctione, oppoſitione, delineatione aliisque motibus quædam veluti futurarum rerum voces in Cælo formarentur, quas ſolus ille noſſet, quem DEus ingeniiq; bonitas atque genii proprii aſſiſtentia hæc doceret*; ut hæc verbis Athanaſii Kircheri l. c. (ss) recito. Neque quicquam pro Agrippa vel ejus Hyperaſpidi Gaffarello facit, quod à *Sanctis Patribus Magorum Dux ſtella Lingua dicatur & à Sybilla* θεσφατος ἀςὴρ *& ipſum Cælum ab Ambroſio cæterisque Liber, in quo quidem mortales quæ ſui ſunt muneris & legere poßint & diſcere.* Ludovicus Borbonius (tt) Tropicè enim omnia dicuntur, & pariter accipienda ſunt; φάσματα quoque, non veræ Cæleſtes literæ quales ſibi fingit Gaffarellus; aut etiam Meteora Ignita, Sennertus (uu) Conimbricenſes (xx) fuerunt, quæ in aere Julianus Apoſtata ex ſtellarum congerie axtificioſè conflata verba legiſſe fertur σήμερον ἐν περσίδι Ἰουλιανος ἀναιρεῖται Hodiè Julianus in Perſide occiditur. Borbonius (yy) Tranſeant igitur Agrippa cum Gaffarello; neque enim Cæleſtes Literas pro Ebræorum Literis venditabunt, Literæ Ebræorum doceri atque diſci ab hominibus debent ac poſſunt; Agrippæ Cæleſtes verò literæ non niſi Genii aſſiſtentiâ doceri aut diſci poſſunt ut ipſi ſua ſponte profitentur; quia ſcilicet

(pp) *Oed. Ægypt: l. c. p: 150.*

rr] *in Cæl: or: Exerc: II. p. 138. ſeq.*

ss] *Diſquiſit. 3. §. 4.*

tt) *in Palat. Eloqu. p: 392*

uu) *Natural. Hist. l. 4. c. 9 & c. 2.*

xx) *in lib. Met: Ariſtot: tract: 1. c. 3. & tract: 4. c. 3. &c*

yy) *l. c. p. 292.*

ſcilicet non niſi in Ingenio Agrippæ & Gaffarelli & aliorum ſuorum Aſſeclarum, revera dantur.

§. 6. Siquidem Lingua & Character ejusdem Linguæ eodem utplurimum gaudeant jure; idem etiam hic obtinere videmus. Vocab. עברים latè accepto, idem & Syriacæ & Chaldaicæ & Samaritanæ non ſaltem linguæ ſed & Characteri tribuitur. De Syriaca Glaſſius (a) Verùm rem ipſam explicat Clariſſ. Hottingerus (b) inquiens quod Hebraicæ Linguæ, [par ratio de Charactere) nomen Syriaſmo tribuitur, id factum improprie. De Chaldaicâ iterùm Hottingerus [c] Chaldaica & Syriaca antiquitus eadem erant Lingua. E. eodem quoque jure Chaldaica quo Syriaca nomen Ebræorum ſibi requiret: & quâ ratione אותיות עברים competere poſſint & Chaldaicæ & Syriacæ Literaturæ ad oculos patet ex Charactere hodierno Chaldæorum Eſtrangelo quem uſurpare licet ex Auguſti Pfeifferi Jaropffer. Samaritanus Character Rabbinis paſſim venit nomine עברים quia, cum Rabbiniſmo & Samaritana Lingua ex Hebraiſmo & Chaldaiſmo mixta Hottingero (d) ab Ebræis Literaruram חול f. Profanam & Civilem mutuata eſt; Verùm, uti dictum non Ebræorum Character הקדוש ſ. Sacer & Aſſyriacus, quo V.T. ab ipſo Deo conſignatum legimus; ſed ſaltem חול ſ. Profanus & Aramæus, qui etiam Libanicus, & Babylonicus, item Civilis, cujus uſus communior & vulgatior in terrâ Canaan diu obtinuit tam in exemplaribus Legis, privato tantùm uſui deſtinatis, quam præcipuè in commerciis, & cudendis monetis, inde jam à tempore Abrahami Proſelyti inter Cananæos Waſmuthus (e) Athanaſ. [f) Kircherus.

(a) Philol S p. 236

(b) Smegm. Orient. ſect. 1. c. 8.

c) l. c. c. 3. § 30.

Est Strena Johanni Georgii Sax: sub initium ... mine gratulatorio ... lata Witteb: expensa [illegible]

d) l. c. § 31.

e) Vindic. Hebr. part. 1. Sect. 1. p. 51.

(f) 1. ſupra cit. Diſquiſ. 3. §. 1. 2. 3.

§. 7. Tandem ad ipſum Characterem Ebræorum Sacrum, genuinum protoplaſtorum ab Adamo ejusq; poſteris inventum & a Moyſe vindicatum accedimus. Dicitur עברים potiſſimùm quia in Heberi poſteritate Servatus; item הקדוש quod iſto Sacra V.T. dogmata ſint conſcripta: item כתוב מרובע Scriptura quadrata, à figurâ quam præ ſe fert Quadratam; ad diſtrimen חול ſeu Profanæ quæ ruditer picta Cuthæis ſ. Idiotis relinquebatur. Non enim antiquitus Characterem חול ſeu Profanum & Samaritanum, ab Ebræorum הקדוש eſſentialiter, ſed tantum accidentaliter diſtinctum fuiſſe, magno animo aſſerit Athanaſius Kircherus (g) & Nicol Fullerus (h) Ita ut arte & ingenioſè, majori nitore depicta

(g) l. c. diſquiſit. 2. § 2.

(h) Miſcell. S. l. 4. c. 4.

picta figura מרובע ſ. Quadrata facta ſit Character קדוש qua omnes libri Prophetarum, non ſaltem Libri Legis juxta quosdam, conſcripti extiterunt à Moyſe usque; Rudis verò Character, Profanus factus. Sacer & Profanus Athanaſio Kirchero (ut brevibus dicam:] veniunt nomine Aſſyriaci Characteris; eosdem enim unum fuiſſe reputat, cum Abraham adhuc viveret in Aſſyriâ. Alia tamen ratione Character הקדוש hodiè vocatur Aſſyriacus; Non quidem juxta Capelli, Waltoni, Scaligeri & aliorũ ſententiam quod ex Ebræo vetuſto in alium Aſſyriacum ab Esdra ſcriba mutatus ſit, in eum ſcil. Aſſyriarum quem Eſdras ab Angelo acceperit; ſed quod poſt reditum Hebræorum ex Aſſyria, ex captivitate Babylonica, Vulgo demum factus ſit notior, Profano Cuthæis ſ. Samaritanis ex odio conceſſo. Character E. עברים ſtrictè ſumpto vocab itẽ הקדוש & מרובע & אשורים Item Biblicus ſunt & erunt Synonima: de quibus Athan. Kircherus l. c. Wasmutdus l. c. Dilherrus (iii) Hottingerus l. c. (k) & alii

§. 8. Ex hactenus dictis jam primo licebit colligere, quomodo accipienda ſint, quæ tradunt Johannes Matthæus Lunenſis Etruſcusi [l] de duodecim; & Laurentius Scraderus loco ſupra cit, de viginti quatuor, ex octo columnis quadratis in Biblioth. Vat. ex ſcriptis; literarum primis Inventoribus. Plerique enim ex illis non ſunt, aut verò, ſi ſunt Inventores; non tamen inter primos Literarum Inventores recenſendi.

§. 9. Ebr. Characteris Inventorem primum agnoſcunt Adamum, Viri Doctiſſimi, Bibliander [m] Suidas [n] Laurentius Scraderus (o) Poſtellus [p] Franciſcus Sacchinus (q) Alſtedius (r) Joannes Stephanus Menochius [s] Pineda (t) Athanaſius Kircherus [u] Thomas Bangins l. ſupra cit. Waſmuthus, Buxtorfius & alii ab his citati. Ex Rabbinorum teſtimoniis audiamus ſaltem unum vel alterum quæ etiam in ſuam ſententiam adducit Clariſ. Hottingerus (x) R. Gedalia (y) Zemach David p. 1, 5, 6. & not. Vorſtii p. 198. *Adamus ſumma fide poſteris tradidit quæ à DEO ad ſeros propaganda nepotes ac- cepe-*

(i) *Eclog. Syr Dict. 1.*
(k) *c. 3 §. 16.*
(l) *in libello de Rerum Inventoribus ex edit. Juſtiniani. Æbræenſis Epiſcopi pariſ. A. 1520.*
(m) *l. de Communicatione Lingu p. 43.*
(n) *in Voce Adam*
(o) *in de monumentis Italiæ p. 146. ſeq.*

(p) *præfat. lib. de Phoenicum Literis* (q) *in Protreptico edit dilling. 1626.* r) *Chronol. 28. orig. pag. 283.* (s) *lib. 3. de Rep. Ebr. c. 1. p. 619.* (t) *de Rebus Salom. l. 3. c. 27.* (u) *Obel. Pamph. l. 1. c. 1. p. 3.* (x) *in Smegm. L. Orient. c. 8. Sect. 1.* (y) *p. 91.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730586820/phys_0012
DFG

ceperat, Sermone Ebræo: & Inchau p. 5. Adamus fuit omnis literaturæ peritiſſimus. Neque omninò de nihilo eſt F. M B. ab Helmont Sulzbazi (z) doctrina, probare ſatagentis, ipſam Naturam Adamum literas docuiſſe; Literis enim Ebræorum plerisque ineſt megna conformitas cum rebus ipſis; ſic ץ unci figuram habet & uncum ſimul denotat, ג Camelum ſignificat, & Cameli gibbus præ ſe fert ש Deus, dentis figuram habet &c. Ut non immeritò Literis Ebræorum applicari poſſit illud Rabbinicum בת־קול quod ſint filiæ Vocum, imò filiæ rerum, conf. Glaſſium (a) Dilherrum (b) & quos ibi allegatos invenies autores. Apud Becmannum (c) Latinos vili occaſione; Avium aliarumque rerum literas ſuas inveniſſe & compleviſſe legitur, quidni Adamus omnium hominum ſapientiſſimus, ex nomenclatura omnium rerum anſam arripuerit Literas pingendi, quæ ita vocem, quemadmodum vox conceptum, præ ſe ferrent: μακροβιότατος certè Patriatcha non τὸ πᾶν tamdiu ſine mente aſpexit, potius de eo quàm maximè ſollicitus fuit, quomodo poſteris concredita bona etiam literis conſervaret: Et hæc quoque cauſa fuit quare Sethus Adami filius & diſcipulus duabus columnis ſacra inſculpſerit; Joſephus (d) Quali autem Charactere, annon Adamitico? Rectè certe & graviſſimè Buxtorfius (e) *portentoſum pronunciat, unius mentis & rationis eſſe omnes homines participes, & tamen non eadem quoque Linguâ homines mentes & voluntatem ſuam inter ſe in vicem communicare*, pariratione etiam portentoſum fuiſſet, unam linguam pluribus Literis exprimere; Adami Character & Poſterorum Character unus certe erit character, & ille quo Sethus Columnas implevit & informavit idem fuit Adamiticus. Tùm præterea Jacobus Lobbettius Leodicenſis Jeſuita. (f) de charactere Caini quo notatus fuit, tradit Gilbertum Genebrardum ſtatuere, Cainum nota litere א inſignitum fuiſſe; quamvis juxtà M. Joan. Fridericum Nicolai (g) Genebrardus non א ſed ה ex traditione Rabbinorum notam Caini deputaverit. Nam Verba רש״י (h) hæc sunt חקק לאות משמו במצחו *impreßit ipſi literam ex nomine ejus in fronte ejus* Hæc nec. Sed quicquid ſit ſive א ſive ה fuerit nota Caini, utraque teſtaretur, Literas Ebræorum jam ante Cainum fuiſſe ab Adamo Inventas; Adamum enim Spiritus S. illas docuit, quibus

(z) *in Delin. Alphabeti Natur. ed. Ao 1667.*

(a) *Gram. S. tr. 1 Com. 36.*

b] *Eclog. Syr. Dict. 12. p. 396.*

(c) *De Orig. V. in Manud. ad Lingu. L.*

d) *lib. 1. Ant. Jud. c. 3.*

e) *in Præfat. Lex. Chald. Syriaci*

(f) *in Opere Morum de peccato l. 3. pr. 3.*

g) *in D. de liter. Ebr: Memon. Th: 1.*

h) *Com. ad Geneſ. cap. 1.*

quibus poſteà Nomen DEI proprium & Sanctiſſimum & gentibus ineffabile; Fullerus (i) Lapidibus ſuo digito, & gemmis per Bezalielem artificem eſſet impreſſurus, (k) Non Ergo iſti Autores qui literas Ebræorum partim Adamo, partim poſteris Adami tribuunt veluti Inventoribus, dùm poſteros faciunt Inventores, Adamum primum Inventorem negare poſſe, vel unquam negare conſtituiſſe reputo. Ut prò Adamo Inventore primô Ebræorum Scripturæ, non contra iſtum militare jam poſſint, quæ ex Elmacino Arabo Hottingerus (l) *Dicit Sapiens Phriton, Sethum Inventorem eſſe literarum ſive elementorum ſcribendi, easdemque in Linguâ Ebraicâ monſtraſſe*; Quæ eadem verba etiam Clariſſ. Hottingerus l. c, reperiri ait: apud Svidam & Theodoretum (m) & Simſon. (n) Item cum Henochus legitur primus fuiſſe calamographus, Arithmeticæ ſtudioſus (Literis enim Judæi numerum exprimunt) ut & Grammatticus, quemadmodum expreſſe de eo Cedrenus (o) οὗτος πρῶτος γράμματα μανθάνει καὶ διδάσκει conf. Auguſt. Pfeiff. (p) & alii. Hæc omnia Adamum Inventorem primum Ebræorum Characteris, ſatis evincunt. Adam, etenim fuit Præceptor, Poſteri Diſcipuli ut Canit D. Emanuel Theſaurus Patritius Taurinenſis Comes & magnæ Crucis Eques Sanctorum Mauritii & Lazari (q) de Adamo: Ex typo prototypus fio; *Rex ſine urbibus, dives ſine auro, ſine Magiſtro eruditus Ludum aperui. Tot nactus auditores quot homines.* Et cauſæ ſociæ non ſubordinandæ neque opponendæ ſed coordinandæ erunt. Placet propterea illud Vicelii (r) dictum: Si ſcripſit Henoch, his profectò literis ſcripſit, quas poſtea ab Heber filio ſemi Hebræas appellavere.

§. 10. Quomodo verò Literæ iſtæ ab Adamo inventæ ad Hebræos & quidem usque ad Moyſen ſunt propagatæ, & quæ cauſa vel Ratio nominis Hebræorum? Reſp. עברים ab Hebero potiſſimum appellantur, hac quidem ratione, quâ Heber, qui non interfuit ſtructuræ Turris Babylonicæ. Aug. Pfeifferus in Faſcic. Diſp. D. de Lingua Prim. aſſert. 2. linguam & literas Ebræorum à Noacho tunc adhuc in vivis acceptas tanquam theſaurum pretioſiſſimum ſervavit & ad poſteros ultimos familiæ ſuæ propagavit; Eos autem ſaltem qui futuri eſſent ex Genealogiâ Chriſti; Reliqui enim hujus Linguæ & Characteris Ebræorum non adeò magnam curam habebant, ſed negligebant potius: ut Lingua & Character Ebræorum pro

nota

(i) *Miſcell: S. l. 2. c. 6.*

k] *Exod 36. 1.*

(l) *Smegm. L. Orient: c. 8. Sect: 1.*

(m) *quæſt 47. in Geneſ.*

(n) *p. 4. & 6.*

(p) *Diſput: de Henocho §. 11.*

q] *Ænigma Adami*

(r) *in Encomio Hebraicæ L. Lipſiæ edito Anno 1538.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730586820/phys_0014
DFG

nota veræ Eccleſiæ V. T. accipi potuerint. Hæc ut evidenter conſtent, notandum: Ab Adamo (qui primus fuit ſummus ſacerdos prototypus Chriſti D. Lyſerus) (s) usque ad Noachum ante diluvium, & poſt diluvium à Noacho usque ad Aaron, ex Hieronymo, D. Wolfg. Franzius (u) jure primogenituræ alicui liberorum ſacerdotium obtigiſſe Geneſ. 49. 3. conf. Seldenus, Cunæus, Carolus Sigonius de Republ Ebræorum & Seldenus de ſucceſſione in Pontific. &c. qui fungeretur iſto ſacerdotis munere certo ad id à Deo deſtinato loco, Franzius (x) ad cujus ædes reliqui velut ad templa & aras convenirent Geneſ. 4 v. 3. & 14. ſacrificia offerentes. Hottingerus (y) Primogeniti enim Sacerdotes promiſſionem de promiſſo Meſſia cuſtodire debebant: quemadmodum poſteà Judæis concredita fuerunt elogia Dei, ut noſtris inviolata tradarentur manibus Rom 3. Idque in ea linguâ quâ accœperant, ſcilicet Hebræâ Hottingerus. (z) Hinc factum ut primogeniti ſummi ſacerdotes ut plurimum vel præcipuè ex Genealogia Chriſti qui erant, ſervaverint ſummâ cura linguam Pontoplaſtorum & Characteres quibus traditiones de ſacrificiis ritè peragendis ab Adamo acceperant conſignatas. Micrælius Synt. Hiſt. Eccleſ. quæſt. IX. Joſephus (a) Bangius (b) ex Poſſevini & Sixti Senenſis Bibliothecis. Quæ etenim Myſteria prædicare debebant, illorum quoque curam præcipue gerere debuerunt; At verò non alia lingua atque Charactere quam Ebræorum id factum, inſimul magno animo atque conſtanter aſſerit Athan. Kircherus in Oedipo Æpyptio [c) in ſuam ſententiam allegans Hieronymum, Auguſtinum, Cyprianum, Euſebium, Athanaſium, Originem, Tertullianum multosq; ex Rabbinis. Tum id evincit ipſa praxis Patriarcharum quæ legitur in ſacro Codice, Laban ex eadem familia qua Abraham ortus, non tamen eandem cum Abrahamo Patrum linguam retinebat; Geneſ. 31. 47. quæ cauſa? annon quod Abraham in Sacerdotem Franzius, à Deo eſſet electus & vocatus è Chaldæa terrâ Idololatriæ, Studioſiſſimeque Linguam Protoplaſtorum & Characterem quibus promiſſio Meſſiæ prolata & conſcripta erat, cuſtodiret, Laban verò nō item, idololatra factus: Dein etiam quem in finem Patriarchæ in tentoriis ſegregati ab aliis & ſeorſim habitabant? Abraham & Iſaac ſub Quercu in Valle Mamre Geneſ. 18. & Chriſtoph. Heidmannus

(s) *in Trifolio Veræ Relig. Adam Abraham. & Iſrael. Diſp. 1. §. 3.*

(u) *in Sch: Sacrif: Diſp. 8. Th: 17.*

(x) *l. c. Diſp. 7. Th. 1, 2, 24, 42. ſequ.*

(y) *in Smegm: Orient: c. 8.*

z) *l. c. Sect. 1.*

(a) *l. ſuprà cit.*

[b] *in Cœl. Orient. Exerc: II. quæſt. 8. p. 130.*

(c) *Gymnaſ: Hierogl: Diſquiſit: 3.*

(d) Wolf. Frantzius (e) Hottingerus (f) Jacob in Suchot Geneſ. 23. Scilicet cauſam dicit Nicol. Fullerus ( g ) *ut gentibus innoteſceret, Deum Abrahamum & ſemen ejus in populum proprium ac peculiarem ex omnium gentium numero ſibi delegiſſe & innumeris penè modis tanquam multiplici vallo circumdato etiam linguæ uſu arcere & prohibere velle ab impiarum gentium ſocietate ac converſatione* Deut. 7. 2. 3. 4. 5. 6. *Abrahamum quoque ſeceßione iſta ſe ſuisque ab Idololatrarum conſuetudine familiaritate caviſſe, quia Idololatriæ periculum familiæ ſuæ ex converſatione Cananæorum videbat; Item Nonnè rectè dictum eſt à quodam, ſocietatis humanæ vinculum eſſe rationem & orationem? Atque ita neceſſariò fatendum foret, quos Deus olim linguarum confuſionis beneficio, quaſi firmiſſimo muro diſcluſerat, facileque evitandos reddiderat, Abrahamum commune ejusdem linguæ uſu propriùs ſibi conjunxiſſe, & perfoſſo, imò diruto muro iſto ſibi quidem difficiliùs evitandos, poſteris autem inevitabiles propemodum effeciſſe.* Hæc de Lingua Fullerus; De Charactere Ebræorum par ſit ratio. Prætereà quod Lingua & Character Ebræorum primævus notâ Eccleſiæ V.T. fuerint & ad Moyſen usque imò ad ultima V.T. tempora ſervata ſint: ut jam ex dictis, ita etiam exinde probatur quod ſcil. Deus voluerit vocari Deus Hebræorum. Nam quod Admodum Reverendus atque Excellentiſſimus D. Auguſtus Varenius Dn. Præceptor atque Promotor ſummè colendus graviſſimè notavit [ h ] *primus qui ſplendido & glorioſo nomine in Scripturis ſalutatur poſt caput Heberum Abraham Geneſ. 14. 13. ſecundus, Joſeph. Geneſ. 39. v. 14. & 17. c. 41. 12.] Tertius Jonas c. 1. 9. Præter hoc illuſtre trifolium Ebræorum, indeſinitè ferè ponitur in Legibus pro Individuo vago gentis Hebrææ. Inde in plurali gentem ipſum ab Eber deſcendentem notat, quæ Judæorum poſteà & Iſraelis nomine venit. Sed & poſt Exodum à Philiſtæis aliusque populis hoc nomine gens Judæorum diſcreta fuit & nominata.* Quæ ſi ſœpius revolvas atque perpendas, obſervabis (1) omnes qui nomine Heberi veniunt aut fuiſſe ex Genealogia Chriſti, aut eriam typum. [2] Deum illorum ſe præcipuè vocaſſe Deum ex quorum familia Chriſtus naſciturus erat quivè typi Chriſti fuerunt. (3) Illam familiam verò eſſe Heberi & Judæorum. Deus enim vocatur Deus Hebræorum Exod. 7. v. 16. quod Chaldæus expreſſit, Deus Judæorum. (4) Hebræorum gentem cujus Jehovah Deus vocatur, ab Hebero

usque

(d) *in Palæſt. S. c. 3. §. 42.*

(e *in Sch: Sacrif: Diſp. 4. Th: 17.*

(f *in Sch. Sacr: D. 4, 15, 17*

(g *Miſcell: S. l. 4. c. 4.*

(h *in Decad: Moſai: lib.* שמות *Dec: 7. Loc. 1.*

uſque diſtinctam ab aliis & veram fuiſſe Eccleſiam Dei. (5) Quibus verò à gentibus diſtingui potuit, inter alia etiam fuiſſe Linguam & Literaturam Heberi, quæ Heber à majoribus acceperat; quæque in familia Heberi tantum ſervata erant, in qua Heberi Lingua etiam Benedictio generis humanæ, promiſſio Seminis benedicti promulgata erat, Reliquorum vero gentium Linguæ Pœna Turris Babylonicæ exſtructæ fuerunt & Maledictio. (6) Omnia iſta quibus Heberi Eccleſia diſcerni potuit ab aliis, etiam ſervata fuiſſe usque ad Jonam Prophetam & ulterius ſiquidem & Jonas Hebræus vocatur, cujus Jehova Deus eſt. Linguâ E. & per conſequens etiam Characterem Eberi quem Noah à Mathuſalem Adami diſcipuli, ore; à Noaho vero Heber hauſerat & didicerat; ad usque ultima Judaicæ Eccleſiæ tempora ſervata fuiſſe; quod fuit probandum.

§. 11. Manet E. Hebræorum Characterem Sacrum & Biblicum ab Adamo inventum ad Moyſen imò ulteriùs ſervari potuiſſe & ſervatum eſſe; Et Characterem Adami eundem eſſe cum Biblico & Moſaico, hoc ſaltem diſcrimine quod Adam Characteres invenerit, Moyſes vel etiam Deus eos vindicaverit, priſtino nitori reſtituerit, aut ſi mutatio facta, non quoad eſſentialia, ſed tantùm accidentalia mutaverit; juxta Athanaſ. Kirch. loco ſuprà citatò. Cui adſtipulatur Thomas Bangius (i) in ſuam ſententiam allegans Don Joſephi Antoni Gonzalez de Salar Equitis Hiſpani (k) Verba: Moyſes non Literarum Auctor, ſed Vindex, qui rudes & inconditos Characteres antiquos poſt diluvium fatiſcentes, in aptiorem formam & uſum concinnavit cujus ὁμοψῆφον jactitat ſimiliter eſſe Mallinckroth de Nat. Lit. c. 2.

§. 12. In contrarium abeuntes, quoniam aut nullis nituntur ſolidis fundamentis, aut jam ſatis veritatis convicti ſunt, ſaltem verbo indicaſſe ſatis erit. Æternus enim Plinii (l) Literarum uſus nullus eſt; & fabuloſi ſunt Rabbini quos citat Aug. Pfeifferus (m) Præadamitas, Doctores Adami Somniantes; à quibus Adam Characteres acceperit. Traditiones ſiquidem de Præadamitis Anonymi (qui deprehenſus fuit Iſaacus Peyrerius cuius Manuſcriptum ab ipſo autore communicatum Hafniæ Anno 1645. ſe legiſſe affirmat Bangius (n) exploſæ ſunt â Johanne Danhavvero & Johanne Micrælio in ſcriptis Peyrerio oppoſitis

(i) *l. ſupra cit: p. 15.*

(k) *Diſſert: de duplici Terrâ*

(l) *Hiſtor: Nat. l. 7. c. 56.*

(m) *in Faſcic. Diſſ D. 1. De Lingua Protopl. aſſ. 1.*

(n) *l. c. Exerc. 2. p. 134.*

(o) *In novo Prometheo Præad, ad Causam relegato*

(p) *in Refutat: fabulæ Præadamiticæ*

(q) *Disquiſit. de Præadamitis.*

(r) *in Non Ente Præadamitico*

[s] *in Animadverſionibus in libr. Præadamitarum*

(t) *l.c. Exercit. 1. p. 4.*

u

(x) *in Del. in Alph. Nat. p. 3.*

(y) *in Exam. Cabbalæ D. Mori*

ctis; item à Johanne Uſſerio (o) Samuele Mareſio (p) Johanne Hilperto in illuſtri Juliâ Profeſſore (q) Antonio Hulſio (r) Euſebio Romano (s) Neque minus fabuloſi ſunt iſti Rabbinorum qui Literas Ebræorum inter decem res creatas in veſperâ Sabbathi referunt conf. Bangius (t) Theſeum, Pantheum, Hephurnum, Gaffarellum, Duretum, & ejus farinæ alios refutavit Clariſſ. Thomas Bangius l. c. Nierembergio qui Moyſen primum Inventorem Characteris Ebraici, eſſe, propugnat ſatisfecit D. Waſmuthus (u) à VValthono Capello Scaligero & Aſſeclis qui Samaritanorum Literas, primævos S. Codicis characteres eſſe contendunt, ſecuros quoslibet jubent eſſe Buxtorffii Diſſertat: de Literis Hebræorum, Anticriticum Capell. Tract. de Punctis & Athanaſius Kircherus loco ſæpius citato, VVaſmuthus & alii.

§. 13. Ut pagellarum ratio habeatur, reliqua brevibus. Definitionem Characteris, Ebræorum ſequentem tradit F. M. B. ab Helmont loco ſuprà cit. (x) Hebræorum Scriptura nihil eſt aliud, quam variorum humanæ Linguæ motuum artificioſa repræſentatio. Supponit enim Linguam eſſe penicillum quaſi Quo, & ſimul tabulam in Qua literarum Characteres depingantur naturaliter. At rejicit eam Doct. Sam. Andreæ (y) neque ego illam meam facio Si tamen omnium rerum definitio exigatur, delineo iſtas, quod ſint Signa Verborum, quemadmodum Verba ſunt ſigna conceptuum in Adami Scholâ inventa & in Heberi poſteros propagata conf. Buxtorf (z) Dilherrus (a) Borbonius (b) & alii

§. 14. De Figurâ Literarum Ebræorum propriè & Strictè talium jam fuit evictum, illam non aliam, eſſe, quam quæ in Codice ſacro V. T. oculis uſurpatur. Etenim Nova Quadratæ pinguitas & gracilitas non mutat figuras. Et habeant Judæi in MSC. alios atque alios Characteres modo מרבעריך figuræ nobis relinquantur. Optimè R. Abraham de Balmes (c) *Sciendum eſt quod Scriptura literarum apud Hebræos habeat modos varios, pro diverſitate provinciarum, quam vocamus Aſſyriacam, quæ verè eſt ortographica, & egreſſa nobiscum ex Aſſyria. Ipſa enim eſt Scriptura, in qua exarata fuit Lex, adeoque Scriptura Sacra in veritate. Scribæ ut pulchram facerent ſcriptionem ſuam pero mutarunt figuras earum, pro nationibus & Linguis ſuis*

z) *in Præfat Lex. Chal. Syriaci.* a) *Eclog. Syr. Dict. 12. p. 396.* b) *in Palat. Eloqu. p. 110* c) *cit. à. Dilher. Eclo. Syriac. Dict. 1. p. 7.*

*ſuis, quæ mutatio non digna eſt divinatione ſuper ſe. Sed poſteà in reliquas Scripturas, vulgaris incidit permutatio magna quoad literas: neque ſervata eſt ſcriptura Aſſyriaca niſi in Bibliis.*

§. 15. Nomina Liter. Ebr. Grammattici tradunt paſſim, quorum Etymologias venati ſunt Reuchlinus (d] Cevallerius (e) Petrus Martinius (f) Verum enim vero Buxtorfius in Theſauro Grammatt. tale de his format judicium: Nominum literarum Alphabeti Etymologia quam vulgò afferunt partim incerta vel nulla eſt, partim non multum ad accuratiorem illarum cognitionem facit.

(d] *l. 3. Cabb. p. 538.*
(e) *in Rudim. Lingv. Ebr. ſub init.*
(f] *in Technol. Gramm. Hebr. p. 21. & ſeqq.*

§. 16. Poteſtates Literarum Ebræorum naturales atque vivaces ut obtineret ſingulari ſtudio incubuit F. M. B. ab Helmont. l. cit In quo tamen exiguam gratiam ipſi refert Samuel Andreæ loco jam cit (g) Et quoniam Ebræorum Literæ numerandi quoque poteſtatem habent, exinde conſtare arbitror, quare Henoch & Abraham Matheſeos, Arithmeticæ & Aſtronomiæ legantur periti. De Henocho teſtimonia collegit Aug. Pfeiffer. (h) De Abrahamo vero illa collegiſſe Scotanum in Biblioth. (i) teſtatur Sam. Andreæ loc. cit p. 74. Scil. exinde quod literes pingendi artem calluerint, iisdemque & numerum dierum ad menſuram aſtrorum exprimere, & Arithmeticæ ſtudio ſuppetias ita ferre potuerint literis ſuis.

(g) *p. 1104.*
(h) *in Diſput. de Henoch. §. 11. ſeqq:*
(i) *Tom. 1. tr. 3. p. 89.*

§. 17. Quod Literæ Ebræorum ſint Vivaces, & ante mundi principium impetraverint miniſteria, qvibus eas oportcat in ſeculo præſidere Judæorum Commentum meritò ridet Sam. Andreæ in Exam. Cabb. D. Mori p. 117. &c, quem citat, Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis in libello de Judæorum ſuperſtition. Quamvis etiam Reuchlinus (k) ſingulas Alphabeti literas Symbola faciat rerum & totum Alphabetum Ebræorum ex Cabbaliſtarum mente in tres ordines dividat, quorum primus ab א ad י. עולם המלאכים Mundus Angelicus ſecundus à litera כ ad literem צ vocatur עילם חגלגלים Mundus Orbium ſ. ſphœrarum tertius à ק ad ת quatuor Elementa cum ſuis formis, & ſimul omnia mixta, tam animata quàm inanimata complectitur, & appellatur עולם הסיודות ſeu mundus elementorum. Et Hieronymus in Procem. Comm. in Thren & tom. 4. Operum (l) dedit Myſticam Alphabeti Hebraici Interpretationem, quæ hiſce Symbolis includitur. *Doctrina Domus Plenitudo Tabularum; Iſta Et Hæc Vita; Bonum Principium Manus Cordis*

(k) *l. 3. Cappalæ*
(l] *Epiſt. ad Paulam Urbic. de Interpretat.*

C

*Cordis ſeu Diſciplinæ; Ex ipſis Sempiternum Adjutorium; Fons ſive Oculus Oris Juſtitiæ; Vocatio Capitis; Dentium Signa.* Tali etiam Elementorum Hebraicorum Myſtico ſenſu delectatus eſt Euſebius, quem Græco ſermone expreſſit; item Johannes Cheradamus. qui Alphabetum Linguæ Sanctæ Myſtico ſenſu refertum edidit Pariſiis Anno 1532; citante Th. Bangio (m) & Sam. Andreæ (n) Verum de his ipſe Bangius loc. cit. *Hæc curioſiùs, quàm utilius; ingenioſius quam ſolidius.* Interim quod Capellus nullam Characteri, ſeu ductui Ebræorum Scripturæ, dixit ineſſe ſanctitatem, meritò refutat Clar. Waſmuth. (o)

§. 18. Numerum Liter. Ebr. exhibet verſ. 23. cap 5. Jeſaiæ. Diſtributionis, in Gutturales, Labiales, Linguales, Dentales, & Palatinas, antiquitatem Patriarchæ Abrahamo faciunt majorem Judæorum Magiſtri. Nam, juxta Sam. Andreæ loc. cit. ex libro Jetzirah, cujus Abrahamum autorem faciunt hæc afferunt verba ex Verſione Rittangelii: Viginti & duæ literæ, exaratæ in Linguâ, exſculptæ in Spiritu, fixæ in ore, in quinq; locis בומף, גיכק, דטלנת ; זסצרש ; אחהע. Cœterum diſtributionem Lit. Ebr. Reuchlini Cabbaliſticam, jam vidimus ſuprà; qualis etiam eſt illa Rabbinorum quâ XXII literas diſpertiunt in tres Masres אמש; Septem Duplices בגדכפרת; & Duodecim ſimplices הוז חטי לן סעצק.

§. 19. Literarum Conſonantium Anima ſunt Vocales Ebr. quas ab interitu vindicarunt Buxtorfius, Kircherus, Waſmuthus, & alii.

§. 20. Et pariter Characteres Ebr. Matres omnis alius Scripturæ ſatis apertè ſtatuunt Doctiſſimi Viri Hottingerus, (p) Beemannus (q) Kircherus (r) Eraſmus Smidius in Notis ad N. T. (s) cujus ἐμφατικώτερα ſunt ſequentia: *Nec ſine ἐμφάσει literulas α & ω vulgò contemptiſſimas tantùm dignatur filius Dei innuens ſe & autorem & finem totius Scripturæ eſſe &c. Quare autem τὸ Alpha prima reliquarum literarum, factum fuerit, diſſeritur, apud Plutarchum (t) Neque dicitur Alpha à verbo ἄλφω invenio, ut quidam Grammatici nugantur, quum hoc vice verſâ ab illo deducatur; Sed nomen refert Hebrææ literæ Aleph; ut Delta τῆς Daleth; λambda τῆς Lameth. Sicut ergò nomen Hebraica imitatur & Ordo, In omnibus ſanè ut puto Linguis A caput eſt, licet non in omnibus O finis literarum.* Hæc graviſſimè & veriſſimè

(m) *loc. cit. pag* 217. *Exercit.* III.
(n) *loc. cit. p.* 112.
(o) *Vindic. S. part.* 1. *p.* 74.
(p) *in Smegm. Or. Ling. cap.* 3. *§.* 51. *ſeqv*
(q) *de Or. L. L. p.* 20. *ſeqv.*
(r) *in Prodr. Copto cap.* 8. *p.* 199. *&* 215.
(s) *ad cap.* 1. *v.* 8. *Apoc. p.* 1418.
(t) *lib* 9. *Impoſ. quæſt.* 2.

riſſimè Smidius A cujus Linguæ Scripturâ jam reliquarum Linguarum Characteres & nomina & ordinem mutuò capiunt ab illâ etiam omninò ut filiæ à Matre genitæ ſunt. Et conferamus literas; *Syriacæ* præter Olaph & Vav, omnes, ſatis apertè Hebræorum literas Matres venerantur, inverſis ſaltem quibusdam: e. g: Hheth inverſum erit Hebræorum ח; Judh inverſum Hebræorum י &c. *Chaldaicæ* Charectər Eſtranghelo Scripturam partim Syrorum partim Hebræorum imitatur, & miſtum quoddam ex iis eſt. *In Samaritanorum* licet omninò non conveniant Crineſius, Kircherus & alii quos citat Waſmuthus (u) Attamen Kircheri character Samaritanus Priſcus (hunc enim primitùs eſſentialiter eundem fuiſſe cum Hebræorum Biblico ipſe defendit (x) & Hodiernus ſeu novus tàm in MSC. quam in Impreſſis, qvem tradit Gerhardus (y) partim parùm diſcrepant, partim haut obſcurè ex Hebræo derivari poſſunt. *Arabicæ* L. Character Antiquus, teſte Clariſs. Hottingero (z) rarius hodiè conſpicitur & ipſis Arabibus illegibilis. Si daretur, prodiret filius Matris Hebrææ. Novus; ſive Selectior & Arabum, ſive Communior ſeu Turcicus non longiùs abit; conferantur ſaltem Sjin, Kef, Mim Wau, &c. Arabum, cum Hebr. ש, כ, מ, ו & videbimus vera eſſe, quæ habet Kircherus in Prodromo Copto (a) *Arabicus poſteris temporibus è Chirographico ſeu Currente Hebræorum Charactere, (uti clarè alibi demonſtrabimus) perfluxit*: & alibi; ſcil. pag. 215. loc cit. *Imò Syras Arabicas, Samaritanasque Literas, quicquid alii dicant, aliundè non profluxiſſe niſi ex antiquo hoc Charactere* (de Hebræorum Charactere loquitur) *ſuo loco oſtendam.* De *Perſico* Hottingerus loco cit. (b) *Eſt vel Vetus vel Novus. Ille Chriſtianis Philologis in noſtro axe hactenus inviſus & incognitus. Iſte ab Muhammediſmo nato, in Perſiam illatus, cum Arabico idem eſt, variante ſolùm quorundam elementorum poteſtate.* Interim quem Clariſs. Aug. Pfeiffer (c) Perſicum tradit non planè idem cum Arabico. *Phœnicum* Literæ Kirchero loc. cit. ferè eædem ſunt, cum illis quas Gerhardus loco ſuprà cit. venditat pro Samaritanis. *Æthiopum* Geetz ſeu Liberæ Scripturæ (Sancta enim cum Chald. Eſtrangelo eadem eſt) Lavi eſt Cubans Hebræorum ל; Hoi; inverſum ה, Res inverſum ר, Saat Hebræorum ש &c. *Armenicus* Character in quibusdam cum Ebræorum in quibusdam cum Copticis & Græcis convenit. *Coptica* (ſi dicendum quod res eſt) Græcorum Majuſcula Scriptura eſt: Habet enim

u) *Vindic. S. Lit. parte 1. ſect. 1. p. 67.*

x) *in Oed. Ægypt. part. II. claſſ. I. I. Diſqv. 3.*

y) *In Harm. Gramm. p. 7. & 8.*

z) *loc. cit. cap. 3. §. 32.*

a) *cap. 8. p. 199. & 215.*

b) §. 39. 40. 41.

c) im Jahr Opffer.



ferè

ferè Græcarum Literarum & nomina & poteſtates, niſi quod aliis literis ex Syriacâ vel potiùs Hebræa Scripturâ aucta ſit. Numerat etenim XXXII. literas, de Affinitate Linguæ Copticæ ſeu Ægyptiacæ cum Græca plura leges in Prodromo copto (d) Athanaſii Kircheri: Ex Copticâ, *Græca*; Intulit enim iſtam Cadmus ex Phœnicâ in Græciam. Ex Græcâ Latinorum & Germanorum ſcripturâ, &c. At vero Græcam ex Hebræorum Scripturâ derivari illuſtrat Becmannus, (e) Johan Heidfeldius (f) & alii.

§. 21. Quæ huc referri poſſent de Cabbalâ, dabunt Glaſſii Philol. S. (g) Sam. Andreæ (h) & quos citat, Hottingerus Reuchlinus, Merſennus, Buxtorfius, Dilherrus & alii. De Maſora Aug. Pfeiffer (i) & quos adducit autores. De Literis Ebræorum Mnemonicis, M. Johannes Fridericus Nicolai in Diſp. de Lit. Ebr. Græc. & Lat. Mnemonicis & alii.

d) *cap. 7.*
e) *loco ſuperiùs cit.*
f) *in Sphinge. Theolog. Philoſ. cap. 26. p. 979.*
g) *p. 303.*
h) *in Exam. Cabb. Mori*
i) *in Diſp. de Maſora.*

## SOLI DEO GLORIA.

*Ad Per-Eximium atq; Doctiſſimum*

## DN. RESPONDENTEM.

Qui ϛοιχεῖα Patrum, libas ſanctiſſima, Linguæ,
Expectas ſtudiis præmia digna Tuis.
Svaviter hinc nucleo veſcere putamine moto
Ipſe Tuum & Lauro cinget Apollo caput.

PRÆSES.

Quam foveas mentem, quo tendas, ſuavis amice,
Et quantum ſperes, hæc tua cæpta docent.
Dum poſitis linguis quas Roma & Græcia præbent
(Quas etiam multâ ſedulitate colis,)
Pergis ad Hebræam, monſtrans fundamina & ortum,
Ac ſacris ſcriptis quæ ſit habenda fides.
Laudo, non pigeat tales perferre labores
Volve, age, volve piâ Biblia ſacra, manu,
Tempus erit quondam, quo te labor iſte beabit,
Quoq; Minerva tibi præmia digna dabit.

*Hæc paucula amico ſuo ſingulariter dilecto*
*εὐνοίας ἕνεκα. apponebat*

Arnoldus Hartz Holſatus Phil: Stud:

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn730586820/phys_0023
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn730586820/phys_0024
DFG

usque diſtinctam ab aliis & veran m Dei. (5) Quibus
verò à gentibus diſtingui potuit, fuiſſe Linguam &
Literaturam Heberi, quæ Heber ceperat; quæque
in familia Heberi tantum ſervata Heberi Lingua et-
iam Benedictio generis humanæ, inis benedicti pro-
mulgata erat, Reliquorum vero æ Pœna Turris Ba-
bylonicæ exſtructæ fuerunt & Ma Omnia iſta quibus
Heberi Eccleſia diſcerni potuit ab rvata fuiſſe usque
ad Jonam Prophetam & ulterius nas Hebræus voca-
tur, cujus Jehova Deus eſt, LinguâE. ns etiam Characte-
rem Eberi quem Noah à Mathuſal ipuli, ore; à Noaho
vero Heber hauſerat & didicerat na Judaicæ Eccleſiæ
tempora ſervata fuiſſe; quod fuit

§. 11. Manet E. Hebræor m Sacrum & Bibli-
cum ab Adamo inventum ad Moy is ſervari potuiſſe
& ſervatum eſſe; Et Charactere em eſſe cum Bibli-
co & Moſaico, hoc ſaltem diſcri m Characteres in-
venerit, Moyſes vel etiam Deus eo priſtino nitori re-
ſtituerit, aut ſi mutatio facta, non lia, ſed tantùm ac-
cidentalia mutaverit; juxta Athar ſuprà citatò. Cui
adſtipulatur Thomas Bangius ( ntentiam allegans
Don Joſephi Antoni Gonzalez itis Hiſpani (k)
Verba: Moyſes non Literarum index. qui rudes &
inconditos Characteres antiquos p tiſcentes, in aptio-
rem formam & uſum concinnavit ov jactitat ſimiliter
eſſe Mallinckroth de Nat. Lit. c. 2

§. 12. In contrarium abeu aut nullis nituntur
ſolidis fundamentis, aut jam ſati victi ſunt, ſaltem
verbo indicaſſe ſatis erit. Æt nii (l) Literarum
uſus nullus eſt; & fabuloſi ſunt R tat Aug. Pfeifferus
(m) Præadamitas, Doctores iantes; à quibus
Adam Characteres acceperit. T uidem de Præada-
mitis Anonymi (qui deprehenſ s Peyrerius cuius
Manuſcriptum ab ipſo autore m Hafniæ Anno
1645. ſe legiſſe affirmat Bangius ſunt à Johanne
Danhavvero & Johanne Micra is Peyrerio oppo-
ſitis

(i) *l. ſupra cit: p. 15.*

(k) *Differt: de duplici Terrâ*

(l) *Hiſtor: Nat. l. 7. c. 56.*

(m) *in Faſcic. Diſſ. D. 1. De Lingua Protopl. aeſ. 1.*

(n) *l. c. Exerc. 2. p. 134.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730586820/phys_0025